

1.3.51

*Idem A. Iohanni pp.*

Generaliter sancimus omnes viros reverentissimos episcopos nec non presbyteros seu diaconos et subdiaconos et praecipue monachos, licet non sint clerici, immunitatem ipso iure omnes habere tutelae sive testamentariae sive legitimae sive dativae: et non solum tutelae esse eos expertes, sed etiam curae, non solum pupillorum et adultorum, sed et furiosi et muti et surdi et aliarum personarum, quibus tutores vel curatores a veteribus legibus dantur.

1 ¶ Eos tamen clericos et monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui ad sacrosanctas ecclesias vel monasteria permanent, non devagantes neque circa divina ministeria desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgemus, ut aliis omnibus derelictis dei omnipotentis inhaereant ministeriis.

2 ¶ Et hoc non solum in vetere Roma vel in hac regia civitate, sed in omni terra, ubicumque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.

*D. k. Nov. post cons. Lampadii et Orestis vv. cc. [a. 531]*